Lutheranis refugient: tametsi in Articulo X. non exiguus
sit scrupulus, qui tamen ex Articulo XIII. et Apologia facile
tolletur. Sit igitur harmonia Confessionum denuo in lucem
producenda: ut et quaestiones de Sacramentis ex praedicta
confessione et Apologia desumptae: nec non caput IX. Exege-
seos Ursinianae de Coena, una cum Epilogo admonitionis Neu-
stadianae. Haec namque et similia scripta verbo Dei diligenter
sunt consentanea, summa adhibita moderatione in negotio
hoc apprime necessaria. Quomodo vero Statibus Augustanae Con-
fessionis per legatos ceterorum Principum commode possit
offerri: de eo pro eximia sua prudentia porro delibera-
bunt Domini Consiliarii.

Caeterum confessionem Gallicanam perlegimus, deprehendi-
musque per omnia doctrinae verbi Dei, et Christianae Cate-
cheseos, ut et Confessioni Palatinae plane esse consentaneam.
Oramus Deum pacis, ut pro paterna sua voluntate
afflictis ac turbatis Ecclesiis aeternam pacem velit
largiri. Anno 1603. die 18. Decembr.

David Pareus Decanus, nomine
Theologiae Facultatis.

Joh: Jacobo Grynaeo D. Pareus 32,
S. P.

Charitas pater reverende, libenter petit et multa
praestat officia. M. Misswaltetus tua commenda-
tione quantum debitur nobis curae erit, ut vel
in Casimiriano eum sublevemus, licet hic difficulta-
te ingruente non careat, eo quod instructuram
denuo ruinam minitantis magni nunc sumptus
paraetionis sumpsit, et propterea ad tempus suspensa
sunt pleraque stipendia: vel ab Ecclesiasticis sumendi
conditionem aliquam impetret: modo aliquantisper in con-
tubernio suo aere se sustentare possit. Iste Henri-
cus Schröterg ad vos commeasurus, sibi aditum per
me fieri petiit, quod ei denegare nolui. Est porro
[illegible] orthodoxae religionis amans:

sed hactenus ferè πλανηθεὶς. Ante sexennium [illegible]-
berga huc commigravit et civitatem Academicam
~~impetravit~~ obtinuit. Postea cum uxore, quam
habet miserè epilepticam, acidulas Schwalbachi-
anas aliquamdiu invisit. Ecclesiis Fratrum nostris
operam recens obtulit ad Ecclesiae ministerium.
quoniam calamitatibus fractus, spiritus, quos pri-
ores se tulerat exuisse videtur. Sed nescio quibus
illi suis causis nostri manus imponere recusarint.
Ad vestram igitur Academiam animum adjecit,
sperans, se privatâ operâ generosis et nobilibus
studiosis, qui apud vos frequentiores esse solent,
servire, et aliquid acquirere posse, quâ in re
quantum absque tua molestia queas, ut ei tuâ
auctoritate adsis, per communem dilectionem oro.
De M. Heydero, quâ occasione ad disputationem
hic admissus fuerit, prius credo me scripsisse.
Venerat cum commendatione D. Stuckii ad
D. Maderum et se patruelem hic habere
in camera Elect: virum honoratum: Sedulum
se auditorem nostrum exhibebat. Itaque ad
exercitium publicum admitteretur, licet non
primâ vice, alterâ tamen obtinuit. De do-
ctoratu nullum nobis somnium. Neque per
charitatem licebat nobis malè suspica-
ri, ubi nulla habebamus argumenta. Quod
aliquid gravius subesse, nunc tandem cognos-
co dolore ejus et Ecclesiae causa. Rogo tamen per
eandem charitatem, ut quantum licet caveatis ne
scandalum inde ad nos etiam derivetur, cum ejus
incommodo. Per virum nudius tertius curavi
eum moneri, contineat se intra officii me-
tas: nec sit nimis mundanus. Caetera intelliget,
et si sapit respiciet. Caeterum autem inter nostrū

et vestram Facultatem in omnibus esse sartam unita-
tem, itaque regeat inter nos libere κοινωνία consiliorum
et monitionum, ubi opus est. De Hunnij obitu scripsit
quidam ex Misnia ad amicum huc totidem verbis. "
Hunnij obitus, cui fauces et guttur maledicentis- "
simum angina occupasse perhibetur, ubi die Veneris "
ad diem usque Lunae jacuerit elinguis: non dubito quin "
dudum ad vos allatum sit. En Dei judicium. Tantam que "
ventorum turbine ipsum vexit Rhodg, ut arbores "
non paucas ac etiam parietes hic et alibi dejecerit, "
ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅστις. Ab alio amico scribebatur
Leyserum pro cordis palpitatione sedanda ab Electore
accepisse dono ac nobiolum cum reditibus annuis
multorum millium. κάρδια ... sane conveniens
καρδιαλγία. Devorant viduarum domos. Vereor ne pau-
lo post plus palpitet, ita caecus furor omnes occupa-
vit. De comitiis altum hic silentium. Post longum
silentium, emissa tandem controversiarum Eucha: ...
Nescio quam bonis avibus. Exemplum misi D. Polano,
quod volo vobis esse commune. Praestaret forte finem
esse scriptionum, quia mundus tandem non capiet. Deus
sanctis vestris laboribus aspiret magis magisque et
taedia Ecclesiae ferret. Amen! Heidelb. 22. Maij
1603.

T.T.

D. Pareus.

Johannes Magirus Clarissimo D. 33.
Davidi Pareo S.P.

Nudius tertius venit ad Collegium nostrum aca-
lescens ingenio perfervido, moribus linguaque pro-
tervus, is ita narrabat, se missum fuisse ut et
disputationem primam de sacrarum scriptu-
rarum authoritate adversus Jesuitarum imposturas,
quam examinandum proposueras ad 27. Aug.
nobis redderet, simulque ad eam disputationem
nos humaniter invitaret, accepi animo grato
sed quominus ad vos accedere mihi liceat,